

quum ipsae metri leges eam magis coërcuisse intellegantur. Quis vero credat, etiam glossas Ionicas a grammaticis, et librariis, esse fere omnibus ex locis eiectas, et pro iis substituta verba communia? quis sibi persuadeat, istorum hominum libidinem mutandi omnia tam importunam fuisse, tamque effrenem, ut etiam ordinem, structuramque, verborum, atque adeo sententiarum vim, et seriem, attigerit? Nam quanquam scriptores, et poëtae, vernaculi nostrorum temporum ii, qui elegantis sibi, et amoeni scilicet, ingenii laudem vindicant, qui sensum pulchri omnem, atque iudicium, gloriantur secum, et natum esse, et extinctum iri, qui se venustatis, leporisque, vernaculi omnis auctores, et iudices, graues iactant, qui vindices se, atque praesides, sermonis patrii certos dictitant, eo licentiae progrediuntur, ut omnes glossas e libris, et carminibus, atque adeo hymnis, superiorum saeculorum tollere audeant, et in earum locum verba suae aetatis substituant; ut totam orationis faciem, atque formam, mutant, ac diffingant: tamen non modo valde iniqua est, atque iniusta, illa ratio;

17. Ioh. Guil. Bergerus in *Pröfatione de Martini Lutheri prudentia rhythmica*, quae est in libro summi viri, qui inscribitur *Eloquentia Publica*, prima, et viceima, quam velim totam nostrae aetatis correctores scilicet, atque nouatores, hymnorum diligenter legant, relegantque, quum laudasset [p. 294. ff.] grauisima, lectuque dignissima, verba, quibus vir sanctissimus rogauit, et admonuit, ad vnum omnes, ut hymnos suos immutare ne auderent, disserere pergit [p. 296. f.] ita: *Vides, hoc loco, ut alia mittam, optimi, sanctissimique, viri pium, ac mirum, quo flagret ille, desiderium: vides summam eius desiderii aequitatem. Nam ve-*

*gat, ut suum sibi libellum relinquunt integrum, idque per amorem, quo ferantur in purum dei verbum. Qui tandem vehementius te rogare possit? Hanc mihi iam, amabo te, da veniam, ut perconter te, qui manum Luthero inferis, velisne tu aliis in te tantum indulgere, ut ea, quae, diu, ac multum, curis quoque posterioribus, expensa, scripseris, atque edideris, arbitrato suo mutant, atque corrigant, quo politiora fiant illa. Abnuis vero, idque recte. In istos quoque iam stomacho exardescis, qui tale quid in te sibi permittant, te utique inuito, tuisque magnis ingratiis. Cur autem tu tam iniquo in Lutherum es animo, ut id, quod in alio ferre nulla ratione velis, in illum tibi*